

RELATIO DIOECESANA
PRO ADMINISTRATURA APOSTOLICA INNSBRUCK-FELDKIRCH
(TYROLIA-VORARLBERG; AUSTRIA) PRO ANNO 1928

Pars Principalis

CAPUT I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Sigismundus Waitz, Dr. theologiae, natus die 20 Maji 1864 in civitate Brixen (olim Tyrolia, nunc in regno Italia), consecratus Episcopus Cibyrensis die 8 Junii 1913, primo ab anno 1913 usque ad annum 1925 Episcopus Auxiliaris dioecesis Brixinensis et Vicarius Generalis pro Vorarlberg, ab anno 1925 Administrator Apostolicus illius partis antiquae dioecesis Brixinensis, quae in regno Austriaco sita est.

2. Breviter exponat quatenus sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro Conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro Conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

Ista Administratura Apostolica definitive primo anno 1921 per decretum Sacrae Congregationis Consistorialis de die 9 Aprilis erecta est. Anno 1925 de die 12 Decembris ab eadem Congregatione Consistoriali decretum est, ut Administrator Apostolicus, hucusque „Episcopus Auxiliaris Episcopi Brixinensis, cui commissa erat universi illius territorii administratio dependenter ab Episcopo Brixinensi, posthac memoratam regionem regat ut Administrator Apostolicus ad nutum S. Sedis, cum omnibus iuribus facultatibus et officiis, quae residentialibus in proprio territorio competunt, dimisso tamen titulo et officio Auxiliaris Episcopi Brixinensis“. Insuper statutum est, ut iste Administrator Apostolicus tamquam Metropolitam habeat Archiepiscopum Salisburgensem, tum pro interventu ad Concilium provinciale, tum pro appellatione in secundo gradu in causis judicialibus facienda“. Sacra Congregatio Consistorialis sequentia adhuc adjunxit: „Quod attinet demum ad reditus et bona antiquae Mensae episcopali Brixinensi propria, Apostolica Sedes sibi jus reservat super iisdem opportuno tempore definiendi, quae justa et aequa videantur, habitis ad rem plenioribus notitiis.“

Res nostrae, uti apparet, ratione definitiva carent, talis status rerum ecclesiasticarum imperfectus prorsus est neque fieri potest, ut de rebus nostris relatio copiosa, qualis in Actis Apostolicis anni 1918 requiritur, fiat. Jam momenti magni esse videtur, puncta quaedam capitalia hoc loco accuratius pertractare: de origine istius Administraturae Apostolicae etc.

a. Infrascriptus jam anno 1918 tamquam Legatus Apostolicus Tyroliae septentrionalis et orientalis fuit designatus, cum eo tempore Episcopus Auxiliaris dioecesis Brixinensis et Vicarius Generalis pro pago Vorarlberg esset atque ut talis in oppido Feldkirch resideret. Eodem illo anno

Innsbruck statio filialis Ordinariatus Brixinensis erecta est, quae Delegato Apostolico esset subjecta. At cum uno anno post Delegatio Apostolica abrogaretur, statio filialis remansit. Instituta dein anno 1921 Administratura Apostolica ista Cancellaria Innsbruckensis, ut liquido apparet, retenta est. Etenim revera summopere fuit necessaria, quippe cum Innsbruck Caput Tyroliae sit 80000 fere incolas continens, Feldkirch vero oppidulum vix 8000 incolarum, praeterea regio Tyroliae septentrionalis et orientalis commode ex Feldkirch administrari nequeat. Nam Innsbruck quasi centrum natura est conditum totius territorii, quod nunc Administratura Apostolica continetur. Attamen cum Administratura Apostolica ratione definitiva careat, Cancellaria, quae hucusque vicariatus generalis Feldkirchensis fuit, rescindi minime potuit, praesertim cum populus Vorarlbergensis permagni pendat istud institutum ecclesiasticum minime imminui, sed Feldkirch residentiae episcopalis manere participem. Itaque necessarium fuit duas constitui Cancellarias vel retineri, Feldkirchensem alteram, alteram Innsbruckensem. Id inde quoque suadet, quod res Voralbergiae et Tyroliae haud parum inter se differant. Jam ista divisio e titulo „Administratura Apostolica Innsbruck-Feldkirch“ manifesta fit. Acta ea, quae in Vorarlbergiam destinantur, ad Administraturam Apostolicam Feldkirchensem, quae in Tyroliam, ad Administraturam Apostolicam Innsbruckensem dirigenda sunt; litterae autem ad Episcopum-Administratorem aut Innsbruck aut Feldkirch mitti possunt.

b. Institutio Administraturae Apostolicae res mere interna fuit et ecclesiastica neque de ea re cum regimine Austriaco actum aut communicatum fuit. Num id proximo tempore factum sit, infrascriptus referre nequit. Inde per annos, cum infrascriptus regimen civile adibat atque, ut salarii pensio ad normam dirigeretur, commemorabat, ei respondebatur Administraturam Apostolicam in schemate aestimationis pecuniariae annuae sectionis cultus minime inesse. Itaque summatim Episcopus-Administrator tamquam salarium idem accipit, quod primus ecclesiae cathedralis capitularis et Episcopus Auxiliaris. Inde a nonnullis annis aliquod subsidium pro rebus in Tyrolia agendis accessit.

c. Jam inde a separatione Administraturae Apostolicae a dioecesi Brixinensi penitus facta necessitas inducta est quaestionis de bonis Mensae episcopalis ordinandae. Cujus quidem rei spes in decreto Congregationis Consistorialis de die 12 Decembris anni 1925 his verbis ostentata est: „Quod attinet ad redditus et bona antiquae Mensae episcopali Brixinensi propria, Apostolica Sedes sibi jus reservat super iisdem opportuno tempore definiendi, quae justa et aequa videantur, habitis ad rem plenioribus notitiis.“ Magna pars istorum bonorum Mensae in regione Austriaca sita est. Quae bona cum saltem majorem partem pura bona Mensae episcopalis, non arcae religionis (Religionsfond) esse verisimillimum sit, eam rem proprie ordinari oportet neque ordinatio per eas actiones fit, per quas nunc de assignandis bonis arcae religionis, quae in alienis statibus sita sunt, agitur. Summo merito hanc quaestionem moveri vel inde apparet, quod Administratura Apostolica animas 403200 amplectitur, dioecesis autem Brixinensis infra Brennerum sita vix 80000; id est incolarum numerum civitatis Innsbruck tantum attingit. Inde a decennio functiones episcopales atque ecclesiasticae administrationis labores pro totius Administrationis Apostolicae territorio ex Feldkirch aut Innsbruck fiunt. Pro ea re hucusque intra decennium summa 10000 litarum a Mensa princepscopali Brixinensi soluta sunt. Praeterea e silva quadam episcopali in Tyrolia septentrionali sita aliquantum lignorum pro domo Episcopi Innsbruckensi data fuerunt. Jam ex parte curiae episcopalis Brixinensis causa hucusque sic constituebatur: cum partitionis dioecesis Brixinensis ansa ab Ordinariatu Brixinensi data non sit, Ordinariatus princepscopalis sive Mensa episcopalis nullo officio obstringitur labores, quos diximus, in Tyrolia septentrionali et orientali praestitos pecunia soluta fulciendi; proinde id solum ea in re praestabitur, quod a Sede Sancta sancietur; atque dum talis ordinatio Roma statuta

non erit Ordinariatus Brixinensis sive Mensa princepscopalis eam quaestionem ordinandam omnino non aggredietur. Novus Administrator illam aggredi vult.

Jam quaestio ista triplici via resolvi poterit:

a) ut Administraturae Apostolicae Innsbruck-Feldkirch dominium eorum bonorum Mensae episcopalis Brixinensis quae in finibus Austriae sita sunt, adjudicetur.

b) ut Administraturae Apostolicae administratio sola illorum bonorum atque ususfructus addicatur.

c) ut ex parte Mensae princepscopalis aliquota tantum pars fructus illorum bonorum Administraturae Apostolicae exsolvatur.

Primus modus nunc saltem temporis commendandus non videtur, quia actiones necessariae essent, in quas regimina civilia Austriae et Italiae immixtura se esse verisimile est. Certe iste modus intricatus est atque difficultatibus pollebit, ita ut vix ulla spes effulgeat rem brevi perfici posse. Tertius modus ideo parum arridet, quod in eo casu Administratura Apostolica probe cognoscere nequit, qua ratione bona mensalia administrantur quive sit eorum fructus. Itaque maxime alter modus commendatur. Accedit quaestio, num Mensae princepscopali Brixinensi onus imponendum sit labores, qui adhuc ab Administratura Apostolica praestita fuere, pretio aliquo remunerandi. Nam Mensa princepscopalis prorsus jus sibi arrogare non potest retinendi fructus bonorum mensalium, quae in primis functionibus episcopalibus et laboribus administrationis ecclesiasticae destinatae sunt.

d. Alia est causa Seminariorum. Brixinae, quod fuit centrum dioeceseos, est Seminarium theologorum et Seminarium princepscopale minus Vincentinum. Praeterea Brixinae omnes sunt arcae (Fonde) ecclesiasticae, quae decursu decenniorum et saeculorum pro causis ecclesiasticis institutae sunt. Ad omnes istas res ab universa dioecesi contributum fuit, et a Tyrolia quidem septentrionali ac orientali inde a primis dioeceseos temporibus, a pago Vorarlbergensi inde a centum annis, ex quo cum dioecesi conjunctus est. Utrumque Seminarium optime institutum fuit atque bona immobilia multa possidet. Jam nunc ex parte regiminis Italici Seminaristae e Tyrolia septentrionali et orientali et Vorarlbergia orti omnino impediuntur, quominus Vincentinum Brixinense adeant ibique studiis incumbant. Quamobrem Administratura Apostolica magis magisque mota fuit, ut Seminarium minus cum gymnasio in regione sua erigeretur, id quod revera per clerum populumque pecuniam conferentem licet opera summa atque labore in oppido Schwaz Tyroliae septentrionalis institutum est; est gymnasium integrum octo classium cum eo numero eaque magistrorum facultate, quae a lege Austriaca requiruntur. Regitur autem illud Seminarium a sacerdote Regente, qui idem magisterio fungitur, et quinque disciplinae praefectis. Jam 240 alumni numerantur itaque institutum viget, ut maxima adsit spes rem prosperrimam fore. Tertium jam annum Seminarium exstat eo modo, ut secundum leges ecclesiasticas vigentes instituatur. At aere alieno (400000 S) collegium premi minime mirum, cum ad rem suscipiendam neque a regimine Austriaco neque a Sancta Sede pecunia simus adjuti neque ex pecunia dioecesana quidquam subsidii adfuerit. Soli omnia procurare debuimus. Semel tantum a Seminario minore Brixinensi, quod exiguo nunc numero alumnorum consulit ideoque cunctis istis magnisque subsidiis jam non indiget, aliquantum instrumentorum supellectilisque accepimus; at brevi deinde ea existit cogitandi hac de re ratio, ut in eo consisteretur nihil jam datum iri, nisi Roma stricte praeceptum esset.

Clerici aut immediati sacerdotii Candidati e territorio Administraturae Apostolicae etiam nunc in Seminarium majus clericale Brixinense mittuntur, quia ea res a gubernio Italico hucusque permissum est neque in nostro territorio praeter Seminarium minus etiam majus erigere potuimus. Ut ad expensas istius Seminarii conferamus, taxam seminariam introduximus.

Nonnulli autem theologi nostri territorii in Collegio Canisiano Innsbruck suis ipsorum sumptibus student. At omnes theologos in Collegium Canisianum mittere non possumus, quod satis loci iis ibi non esset. Certe jam ea de re deliberatum fuit, quomodo theologis aliter posset prospici. In res internas Seminarii clericalis atque studia nulla prorsus Episcopi-Administratoris pars est; unde neque facultas ipsi adest theologos suos penitius cognoscendi, antequam sacerdotio initiantur, neque eorum cultus atque formatio sub oculis Episcopi versantur. Etiam talis status ecclesiasticis praeceptis prorsus non respondeat.

e. Administratio Apostolica tamquam Provisorium pendendum est. Episcopus-Administrator, priusquam dioecesis Innsbruckensis definitive erecta non erit, sedem Innsbruck ut naturale territorii centrum transferre non potest; ubi domicilio quoque proprio caret, ita ut, dum ibi versatur, in monasterio Servitarum B.V.M. habitet mercemque conductam solvat. Pro Cancellaria autem Administraturae Apostolicae summa opera nonnulla cubacula in aedificio praefecturae civilis, ubi cancellariae civilium quoque magistratum positae sunt, a gubernio sunt obtenta. Itaque Episcopus apud monachos habitat, in uno istorum praefecturae civilis cubiculorum negotiis fungitur, alibi cibum sumere cogitur. Talem statum non decere in promptu videtur. Porro Episcopus, cum propria ecclesia cathedrali careat in Innsbruck, functiones episcopales in ecclesia parochiali ad St. Jacobum peragere solet; ut plurimum autem missam pontificalem solemnem in Feldkirch celebrat. Sin autem res magni momenti, festa, congressus in Innsbruck habentur, id quod saepissime accidit, Episcopo ex Feldkirch Innsbruck migrandum est; ubi multo plus laboris Episcopo obeundum est quam, in Feldkirch totaque Voralbergia. Quae cum ita sint, uniformitas in gubernanda Administratura Apostolica minime poterit obtineri: duae Cancellariae pro duobus territoriis adsunt, in Feldkirch Episcopum Provicarius duoque Secretarii juvant, in Innsbruck item Provicarius tresque Secretarii. Salaria istorum dominorum modestissima sunt: Provicariorum salarium annuum parochorum est, Secretariorum idem atque cooperatorum de partibus salariis subsicivis. Itaque salaria minora sunt iis, quae aequales obtinent, qui jam parochia sunt dotati aut cooperatores manserunt. Insuper desunt in Innsbruck domicilia propria pro Provicario et Secretariis. Ex hac provisorio rerum ratione labores admodum difficiles redduntur atque augentur.

E naturali rerum progressu exoriri videtur, ut Innsbruck aliquando urbs episcopalis evadat, cum sit una major urbs dioecesis totiusque fuit, Brixinensis et sedes omnium magistratum civilium. Certe jam nunc temporis summopere desideratur, ut Episcopo-Administratori domicilium ibi comparetur tali statu ecclesiastico dignum. Id hac ratione fieri posset:

In aula Innsbruckensi, quae olim Imperatoris erat, plura conclavia in contignatione altera sita, quibus nemo nunc utitur, Episcopo tamquam domicilium concedi poterunt. Conclavia ista cum Cancellariis Administraturae Apostolicae junguntur atque cum ecclesia parochiali; eadem sufficerent domicilio Episcopi duorumque Secretariorum. Itaque Episcopus propria rei familiaris cura usus molestia vacaret ab alio aliquo domicilii conducendi et extra domicilium cibi sumendi.

f. Aliam quoque rem attingere libet. Rebus, ut supra dicimus, constitutis fieri non potest, ut Capitulum cathedrale constituatur et varia episcopalia munera descripte componantur. Uterque Provicarius Laboribus nimis premitur. Ita, ut exemplum afferam, fieri non potest, ut causae matrimoniales atque aliae ejusmodi cito expediantur. Neque archiva eo, quo necesse est et requiritur, modo parari possunt, quod et tempus et opes desunt. Inde permulta negotia e ratione rerum provisorio, quae jam per integrum decennium perdurat, detrimentum capiunt, licet omnino summa industria sollertiaque in utraque Cancellaria Administraturae Apostolicae labor integer praestetur.

Haec rerum nostrarum expositio summa cum fiducia benevolentissimo Congregationis Consistorialis animo commendatur.

POSTSCRIPTUM.

Nominatione Administratoris Apostolici pro dioecesi Brixinensi nuper facta res supra expositae aliquatenus nova luce apparent:

Novus Administrator quaestionem de bonis Mensae Episcopalis alio modo tractare intendit, quam Episcopus Princeps Joannes Raffl, nunc mortuus. Paratum se declaravit concedendi saltem aliquotam partem fructuum, et consentit, ut quidem Delegatus Administraturae Apostolicae Innsbruckensis partem habeat in Administratione bonorum Mensae Episcopalis.

Insuper supranotata nominatio Administratoris Apostolici novam situationem creavit. Nunc, uti videtur, nova dioecesis Innsbruckensis facilius erigi potest quam antea. Certe si nunc labores praeparatoriae incipiunt, graviora obstacula non inveniuntur. Status provisorius iam per octo annos perdurat et labor crescit; attamen sine capitulo cathedali etc. a paucis agi debet.

+Sigismundus Waitz
Episcopus Cib.
Admin. Apost. Innsbruck-Feldkirch

10. Nov. 1928

3. *Dicat praeterea:*

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communitiae, et quot;

f) in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

d) Sunt in Tyrolia sacerdotes saeculares 411, theologi 24 (14 clerici), alumni Seminarii minoris 217; in Vorarlberg sacerdotes saeculares 210, alumni theologi 20.

e) Neque in Tyrolia neque in Vorarlberg sunt Capitula cathedralia nec etiam alia Collegia instar Capituli.

f) In Tyrolia sunt 6 decanatus, 194 paroeciae, 31 expositurae, 15 capellaniae curatae. Sunt etiam aliae ecclesiae et oratoria publica permulta et complura majora sanctuaria: Absam, Waldrast, Locherboden, Kaltenbrunn.

In Vorarlberg sunt 6 decanatus cum 109 paroeciis et exposituris. Maxima paroecia est Bregenz cum 9250 catholicis. Paroecia cum minimo numero animarum est Stuben cum 60 animabus et Hochkrumbach cum 20 animabus, ubi solummodo in aestate incolae sunt. Sunt etiam 102 ecclesiae filiales et oratoria publica et 20 ecclesiae religiosorum. Sanctuaria praecipua sunt Rankweil, Bildstein, Tschagguns.

Omnes catholici in Tyrolia et Vorarlberg linguam Germanicam loquuntur. Sunt quidem aliquot Italiani, sed possunt etiam intelligere linguam Germanicam et sufficientem occasionem habent confitendi in sua lingua vernacula et etiam audire sermones in lingua Italica.

g) Religiones virorum in Tyrolia:

	conventus	religiosi
PP. Ord. Praemonstr.	1	47
PP. Ord. S. Ben.	1	20
	3 domus filiales	66
PP. Ord. Cist.	1	29
PP. O.F.M.	7	178
PP. O. M. Cap.	4	54
PP. Serv. B. M. V.	4	44
PP. Soc. Jesu	2	105
PP. C. SS. Red.	1	19
PP. Salesiani	1	9
PP. Missionarii de SS. Corde Jesu	1	6
FF. scholarum Christianarum S. J. B. d. l. Salle	1	8

Religiones virorum in Vorarlberg:

	conventus	religiosi
PP. O. S. B.	1	36
PP. Ord. Cist.	1	54
PP. O.M.Cap.	6	41
PP. Soc. Jesu	2	50
PP. Salesiani	1	4
PP. C. PP. Sanguinis	1	4
PP. Soc. Div. Salv.	1	13
FF. scholarum christianarum S. J. B. d. l. Salle	1	

h. Religiones mulierum sunt:

In Tyrolia:

	conventus	religiosae
Moniales O. S. D.	1	43
Moniales Soc. S. Ursulae	1	89
Moniales B. M. V. a M. Carm.	1	18
Sorores Salesianae	1	45
Sorores Adorationis perpet.	1	47
Filiae SS. Cordis Jesu	1	32
Sorores III. O. S. Franc.	11 dom. fil.	113
Sorores poenit. III. O. S. Fr.	1 dom. fil.	29
Sorores paup. scholarum	1 dom. fil.	36
Sorores O. S. B.	1	10
Sorores C. SS. Trinit.	1	4
Sorores a Caritate S. Vinc. a Paula		
Domus principalis Oenipontanae	33 dom. fil.	521
Domus principalis Zams	57	508
Sorores a S. Cruce	5	85

In Vorarlberg:

	conventus	religiosae
Moniales II. O. S. D.	3 monast.	123
Moniales III. O. S. D.	2	28
Moniales O. Cist.	1	40
Filiae SS. Cordis Jesu	1	71
Sorores C. SS. Red.	1	32
Sorores Franciscas Missionariae	1	11
Sorores C. PP. Sanguinis	5 dom. fil.	24
Sorores C. Div. Salv.	1	10
Sorores a Caritate S. Vinc. a Paula		
Domus princip. Oenipontanae	52	253
Domus princip. Zams	17	105
Sorores a S. Cruce	17	150

Caput II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. *An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.*

In nostro territorio Ecclesia sicut in aliis dioecesibus Austriae facultatem habet possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est. Quibusdam legibus civilibus haec facultas coarctatur sicut in aliis dioecesibus Austriae, sed non multum Ecclesia impeditur in sua facultate administrandi. Conditio cleri et ecclesiarum sequelis belli peyor effecta est.

5. *An institutum sit penes curiam Consilium administrationis et quibusnam constet: et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.*

In nostro territorio Administraturae Apostolicae Consilium administrationis institutum est, cujus membra sunt duo Provicarii et septem parochi. Episcopus illo utitur juxta praescripta can. 1520.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

Ratio quotannis ab administratoribus particularibus juxta can. 1525 ordinate fit.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.

Servantur can. 1523, 1526, 1527, 1544 in administratione bonorum, in quantum fieri potest in isto tempore, in quo pecunia valorem suum saepius amisit et reductiones factae sunt quoad tabulas piarum foundationum. Sed ista omnia fiunt, sicut concessum fuit.

8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servant quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.

Bona fiduciaria ad pias causas administrantur, sicut can. 1516 statuit et quotannis Ordinario suo tempore ratio reddenda est.

9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542: et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

Venditiones, oppignorationes, permutationes, locationes et emphyteuses bonorum juxta praescripta tum potestatis Ecclesiae tum potestatis civilis fiunt et invigilantur.

10. Circa decimarum et primitiarum solutionem servanturne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.

Decimae in nostro territorio vix adhuc sunt.

11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis servanturne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.

Obligationes in commodum paroeciae et missionis administrantur juxta praescripta can. 1182. Vexationes deplorandae non sunt.

12. Circa missarum stipem quomodo servantur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.

Circa missarum stipem rigore servantur praescripta can. 831, 835, 841, 843 et 844.

13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali habeantur iuxta

cann. 1296, 1522. Cautum ne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302. Inventaria quovis decennio poscuntur. Mortuo beneficiato commissarius deputatur, cui ista cura incumbit.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum; et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur: catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.

Tale archivum in Administratura Apostolica Innsbruck adhuc non existit, quia locus aptus in Cancellaria praesto non est neque deficiente Mensa episcopali possibile est alio modo provideri.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta, sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Ecclesiae et paroeciae plurimae archiva habent. Ubi nondum sunt, urgetur, ut fiant. Etiam ab istis inventaria quovis decennio poscuntur.

Caput III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiose aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quanam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa. Adsitne Consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat. An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Liberalismus et socialismus utique etiam apud nos in oppidis majoribus et in centris industrialismi grassantur, sed major pars populi fidei catholicae adhaeret et novis doctrinis aures non praebet. Adventistae et alii hujus generis sectatores acquirere tentant, hinc inde non sine ullo fructu, qui vero non perdurat. E clero nullus talibus erroribus adhaeret. Consilium a vigilantia speciale institutum non est, ejus agenda Consilium administrationis persolvit. Professio fidei juxta canonem 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918 praestatur.

17. Utrum divinus cultus libere exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quanam ratio suppetat ad ea amovenda, et num adhibeatur.

Cultus divinus ubique sine ullo impedimento libere exerceri potest.

18. An Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint, et canonicae de his leges servari possint, et servantur. Cann. 1205 seqq.

Ecclesiae jura circa coemeteria non obstantibus legibus civilibus de hac re vigentibus sarta tectaue sunt et canonicae leges seruari possunt et seruantur.

19. Utrum in cultu diuino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum ueneratione; in sacramentorum administratione; nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae seruentur. An in his, et quanam, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena, uel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conuentus, et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu diuino etc. leges canonicae ac liturgicae sedulo obseruantur, et ubi necesse est, inculcantur.

Synodus dioecesis Brixinensis anni 1901 quasdam consuetudines legibus liturgicis contrarias tollebat; quae adhuc sunt, partim penitus tolli non possunt, partim tractu temporis amouentur. Ab ecclesiis picturae, statuariae, aliaque a sanctitate loci aliena speciatim moderna sedulo arcentur.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis uel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Numerus ecclesiarum non omnimode sufficit, quia aliqua utique non multa oppida magis magisque excrescebant et in praesenti tempore annonae media desunt, ut citius novae ecclesiae exstruantur. Nihilominus breui tempore iam quatuor novae ecclesiae aedificatae sunt et aliquae aedificantur.

21. An generatim ecclesiae mundaе sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentēs, squalidae, fatiscētes, et an et quid agatur ut reficiantur. Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Generatim ecclesiae mundaе sunt. In uisitationibus canonicis id, quod desideratur, serio inculcatur. Specialis cura iis ecclesiis non paucis impenditur, quae celebres sunt, id quod etiam a gubernio civili inculcatur et inuigilatur.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

Ingressus in ecclesias, dum sacra peraguntur, ubique est, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus iuxta can. 1181.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant: et eae in quibus SS. Eucharistia asseruat, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266: quomodo obseruentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.

Ecclesiae rite custodiuntur eo magis, quia tempore belli et postea moribus solutis furta facta sunt. Ecclesiae paroeciales omnes ordinarie tota die fidelibus patent.

Cann. 1267 et 1268 circa custodiam SS. Sacramenti in uno tantum loco et altari et circa decorem et ornamentum generatim obseruentur. Solummodo in duabus uel tribus ecclesiis maioribus duo altaria custodiae SS. Sacramenti inserviunt, quia difficile esse uidetur, si pro distributione S.

Communione et expositione SS. Sacramenti unum tantum altare inservit. Est praxis, quae difficulter in istis locis tolli potest.

Quae circa tabernaculi statum et circa lumen coram Sanctissimo cann. 1269 et 1271 praescribuntur, serio servantur hoc unico excepto, quod in aliquibus ecclesiis adhuc luce electrica utantur; attamen numerus istarum ecclesiarum paulatim decrescit.

Caput IV.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent

24. Indicat Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraicum exigat iuxta can. 1504: an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506: utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.

Ordinarius seu Administrator Apostolicus ex aerario redditus percipit (ut supraindicatum est) in civitate Feldkirch in domo a gubernio ipsi praestita habitat, in civitate Innsbruck in monasterio Servitarum. Nullas exactiones imposuit nec cathedraicum percipit. Aere alieno neque qua Ordinarius neque qua persona privata gravatur.

25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.

Bona mensae episcopalis non sunt neque aedes episcopales ideo necesse non erat constituendi oeconomum post mortem antecessoris.

26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis: et res bene gestae fuerint iuxta cann 432, 433.

27. Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.

Residentiae legi ad amissim satisfacit tum in Feldkirch tum in Innsbruck satisfacit. Pontificalia frequentissime omnibus diebus festivis et ultra in congressibus catholicis peragit, conciones multas habet plus quam 100 per annum et saepe litteris pastoralibus clerum et populum instruit. Observantiam legum ecclesiasticarum sedulo urget.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

Sacramentum confirmationis in oppidis majoribus quotannis, in dissitis regionibus saltem quovis triennio vel quadriennio circiter administrat. (Per 15 annos alium Episcopum in subsidium advocare coactus non sum.) Regulae de aetate confirmandorum et de patrinis, in quantum fieri potest neque consuetudines, quae brevi auferri non possunt, non obstant, servantur.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis*

a) *qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;*

b) *qui saltem integrum theologiae curriculum in Seminario non peregerint. Can. 972 § 1. An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.*

Ad sacros ordines clerici tum in Feldkirch tum in Innsbruck tum in Brixen promoti sunt, sive a me ipso sive ab Episcopo Brixinensi sive ab alio Episcopo ibi accersito. Leges de non promovendis, qui necessarii vel utiles non sunt et qui saltem integrum cursum theologiae non peregerint, servatae sunt. Numerus ordinatorum hucusque par erat necessitati dioecesis. Duo sacerdotes, qui id petierunt incardinati sunt consentiente utroque Ordinario.

In ultimo quinquennio pro Vorarlberg 29 sacerdotes ordinati sunt – pro Tyroli 29.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservados.*

In concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi regulae c.877 servantur.

31. *Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.*

Juxta normas eccl. in omnibus ecclesiis parochialibus et expositurarum sive ante missam sive in missa homilia audiri potest non solum in missa solemni sed etiam saltem in multis ecclesiis in aliis missis. Praescripta c. 1340 servantur. At non solum in missa festiva vel alia missa sed etiam in multis occasionibus praedicatur. In aliquibus ecclesiis parochialibus mos est, ut diebus festivis et dominicis in missa solemni homilia non a paroco sed a P. Capucino vel P. O. F. Min. habeatur et id ex illo tempore, in quo conventus exstructus fuit ope eleemosynorum cum onere praedicandi. Quod autem primo officium vel debitum erat, nunc ut jus servatur, ita ut non sine graviore incommodo mutatio attentari possit. Certe normis ecclesiae mos iste non convenit.

32. *An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.*

Matrimonia mixta impediuntur quovis medio, at raro cum fructu desiderato, at fere semper promittitur quod promittendum est sc. educatio proles in religione catholica. etc juxta cc. 1060, 1064, 1065, 1071

33. *An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.*

Infrascriptus Administrator infra decennium totum territorium Vorarlbergense primum et insuper Tirolense infra quinquennium eodem tempore visitavit, omnes parochias et exposituras etiam minimas et dissitas in montibus. Praeterea illae omnes a decanis occasione examinis instructionis

religiosae in scholis visitantur. Quovis quinquennio episcopus tyroliensis totam dioecesim visitare nequit. Sed occasione administrationis sacramenti confirmationis eas visitat.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

Synodum dioecesanam hucusque non celebravit. Forte id conveniens non esset dioecesi nova formaliter non erecta.

35. Si sit Metropolitanus aut Conferentiarum episcopalium Praeses: an et quando Concilium et quando Conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an Concilio provinciali, et Conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

Concilium provinciale decennio elapso celebratum non est, at quovis anno conferentiae Episcoporum Austriae Vienna habentur.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

In nostro territorio harmonia inter auctoritates civiles et ecclesiasticas servatur. Episcopi dignitas et iurisdictio sarta tecta semper servari potuit.

Caput V.

De curia dioecesana

37. Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum, aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.

Curia dioecesana in Innsbruck aedes proprias nondum habet. Jam per multos annos sed frustra huic defectui consulere tentavimus. Pro cancellariis curiae solummodo quatuor cubicula inserviunt in domo aeraria benigne a gubernio concessa. In Feldkirch Episcopus domum aerariam inhabitat ibique cancellariae sunt. In omnibus rebus character provisorius elucet.

Quomodo vero Episcopus exempli gratia in civitate Innsbruck civitatem capitalem Tyrolis cum 80000 habitantibus influxum exercere potest si convenienti modo habitare et visitantes in domo propria accipere nequit et tantummodo hinc inde ibi commorari potest? At multa alia in officiis ecclesiasticis propter hunc characterem provisorium detrimenta capiunt. Jam per octo annos frustra melioratio attentatur.

Episcopi adjutores sunt duo provicarii unus in Innsbruck alius in Feldkirch quia duo cancellariae adhuc necessariae sunt, consilium administrationis cuius membra illi provicarii et 7 parochi sunt et quod vice consistorii servire debet, deinde septem iudices synodales, 11 examinadores prosynodales (sex pro Tyroli, 5 pro Vorarlberg), 8 parochi consultores, 7 censores librorum, 2 promotores iustitiae et vinculi defensores, aliqui experti artis christianae et rerum archivalium. Censores librorum etiam tamquam officiales funguntur.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

Duo provicarii vere periti in jure canonico et etiam civili sunt, apprime diligentes et valde practici in omnibus rebus agendis – consilarii optimi generis – sed etiam secretarii laudes merentur.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex mulctis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.

Cancellaria in Innsbruck ex taxis 1500 Schilling percipit, quod non sufficit ad expensas omnes solvendas. Curia in Feldkirch pro cancellaria quaedam ex fundo religionis percipit, ea vero et taxas cum gubernio imputare debet.

Caput VI *De Seminariis.*

40. Si dioecesis Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu: et ubinam educentur. Can. 1353.

Pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis ultimis annis Seminarium minus (primo) de novo in oppido Schwaz erectum fuit. Clerici seminarium majus Brixinense adhuc frequentant permittente gubernio regni Italici, nescimus vero num id perdurare possit et fieri potest, ut accessus ad istud seminarium majus nostris alumnis claudatur. Si id evenit, cogimur ad ulteriores expensas quamvis expensae pro seminario minori adhuc magnae sunt. Omni nisu sacerdotes nostri conantur seligere bonae spei iuvenes pro sacerdotio, ideo seminarium minus et etiam alia instituta nostrae diöcesis a multis alumnis frequentantur.

41. Si Seminarium adsit, referatur enucleate:

a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;

b) de statu aedium, et rusticationis domus;

c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;

d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

a. In seminario minori regens et 5 praefecti disciplinam externam regunt, pro instructione et educatione religiosa insuper professor religionis servit. Alii Professores 14 sunt, discipuli 217.

b. Domus seminarii ampla est, prius rebus militaribus adaptata erat, postea tempore belli sanatorium pro militibus vulneratis et aegrotantibus erat, deinde novae destinationi adaptata est. Quaedam, uti sacellum, characterem provisorium habent. Domus scholaris separata fere de novo extracta est, omnibus qui seminarium visitant valde placet, etiam domus pro sororibus misericordiae, quae servitia necessaria praestant – et ea omnia quae pro oeconomia necessaria sunt, perbene facta sunt – etiam domus pro habitatione professorum separata est – , utique adhuc reparatione indiget quod vero certo praestabitur. Seminarium istud aere alieno 400000 Schilling oneratum est. Nam sine ullo adiutorio pecuniario ex fundo religionis vel ex mensa episcopali vel ex aliis fundis exstruere debuimus. Reditus seminarii sunt – id quod alumni attribuunt – id quod sacerdotes, professores ex fundo religionis percipient – id quod ex reductione missarum pro populo et manualium et ex seminaristico cleri percipitur. Reductio missarum etiam pro futuro istud auxilium praebere debet.

42. *Distinctumne sit Seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2. Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat Seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in Seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.*

43. *An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendo aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.*

Pro seminaristico cleri anni scholaris 1926/27 10% anni scholaris 1927/28 5% exigebatur et id manet. Ita in Tyroli. In Vorarlberg unusquisque sacerdos usque ad 6 Schilling pro quovis mense attribuit. Pro seminario majori unusquisque sacerdotum pro anno 7,50 Sch. confert. Regulae cc. 1356, 1357, 1358, 1360, 1361 etc servantur in quantum in hoc statu provisorio servari possunt. Seminarium majus Brixinense a rectore regitur adjuvante subregente et praefecto et spirituali et 7 professoribus.

44. *An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis Collegia, vel Universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.*

Ex Administratura Apostolica Innsbruck Feldkirch quatuor alumni in Collegio Germanico Romae, aliqui in instituto all'Anima Romae, aliqui in universitate Innsbruckensi studiis ulterioribus incumbunt.

Caput VII.

De clero generatim

45. *An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.*

Clerus generatim honeste vivere potest. Facilius in Tyroli etiam juniores, quam in Vorarlberg ubi unusquisque separatim in sua domo habitat et majores expensas habet quam sacerdotes in Tyroli in communi habitatione et mensa. Pro senibus specialis domus praesto non est, at ab unione pro aegrotantibus et senibus subsidia praebentur.

46. *An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis: an etiam quo poenitentes recipiantur.*

Pro spiritualibus exercitiis domus separata PP. Jesuitarum in Feldkirch, Seminarium Canisianum saltem tempore vacantiae. Domus exercitiorum etiam prope Innsbruck, et varia monasteria suas portas aperiunt. Domus poenitentium in Brixen a nostris sacerdotibus adiri nondum potest.

47. *Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad*

spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo paroco, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 188-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Quae cc. 125, 126, 130, 131, et 448, 133, 135, 136, 811, 137, 138-140, 142 praescribuntur in exercitiis spiritualibus litteris pastoralibus inculcatur et urgetur. Ex speciali mandato Episcopi omnes sacerdotes saeculares quovis anno saltem tribus diebus in domo religiosa exercitiis spiritualibus incumbere debent. Quod vero c. 134 ex postulat sc. communis habitatio cooperatorum cum paroco in Vorarlberg ex antiqua et inveterata consuetudine non servatur. Nescio quomodo id mutari possit. Tentatum jam est sed sine ullo effectum.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent: an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeant sacerdotem in iis partem habere: an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae: an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint: et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.

Paucis sacerdotibus Tyroliensibus concessum fuit, ut cassis ruralibus (Raifeisen) sua opera praestent, usquedum etiam in locis dissitis ex populo rustico homines apti haberi possint. Ista cassae rurales valde utiles sunt sicut montes pietatis. Timendum non est prout hae cassae rurales nunc diriguntur, quin illi sacerdotes detrimentum aliquod capiant sive honoris sive decoris ecclesiastici sive pecuniae.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem: et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas: et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Clerus generatim praescriptam obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum et erga Sedem Apostolicam praestat, ita ut necesse non sit de transgressionibus mentionem facere.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit: an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas: et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Clerus officia obsequenter suscipit quae ei committuntur. Sunt quidem aliqui sed pauci, qui quamvis viribus polleant, otiosi vivere malunt, sed forse quadam neurasthenia laborant. Utique negari nequit aliquos majori fervore laborare posse.

51. *An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant, vel ea moderentur: et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.*

Aliqui sacerdotes consentiente Ordinario in diversis diariis et libellis periodicis catholicis scribunt, imo eas moderantur magno cum successu pro vita christiana.

52. *An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent: qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant: qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214: et quid fiat ad horum malorum remedium.*

Tres sacerdotes in Vorarlberg ad statum laicalem regressi sunt, duo sine processu sua sponte statum reliquerunt, in Tyrola nullus sacerdos saecularis.

53. *An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit: et casus graviores referat.*

Uni sacerdoti solo in Vorarlberg poena suspensionis irrogata est per aliquod tempus usque ad conversionem ad vitam bonam.

Caput VIII.

De Capitulis.

54. *Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.*

Capitulum cathedrale non habemus, ejus loco illi duo provicarii laboribus onusti varios labores praestant.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum; et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeanturne alii beneficiati minores, et quot.*

56. *Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.*

57. *Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.*

58. *Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.*

59. *Quot adsint canonici ad honorem: et serventurne de ipsis regulae can. 406.*

In clero Administraturae Apost. tres sacerdotes canonici honorarii ecclesiae cathedralis Brixinensis ex tempore unionis adhuc sunt. Novos creare non possumus deficiente capitulo cathedrali.

60. *Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini: servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.*

Quomodo post mortem Administratoris diöcesis regimini providebitur nescimus.

61. *Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.*

62. *Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.*

- - -

Caput IX.

De Vicariis foraneis et parochis.

63. *Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.*

Vicarii foranei diligenter suum officium implent, forse hinc inde unus cum Episcopo non tanta cum confidentia conversatur sicut desiderare velimus.

64. *An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae: et serveturne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.*

Parochiae omnes de suo pastore provisae sunt et servatur lex cc. praescripta 460.

65. *An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.*

Parochiae amovibiles apud nos non sunt.

66. *An et quot adsint patronatus obnoxiae: an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451: sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.*

In Tyrolia varii ordines – Praemonstratenses – Benedictini – Cistercienses – Augustini, in Vorarlberg etiam Benedictini parochias incorporatas provident.

Patronatus regiminis civilis status ulteriorem influxum in electionem parochorum non exercent, quia mos est ut is sacerdos, qui primo loco ab Ordinario nominatur etiam a civili regimine praesentetur. Majorem influxum capita communitatum exercent, hinc inde etiam difficultates creant.

In Tyrolia in summa 105 parochiae et alia beneficia Juri potissimum patronatus civilis regiminis subsunt. In Vorarlberg 62 patronatus fundi religionis, 34 patronatus communitatum, 5 patronatus privato. Normae cc 1452 ss. servantur. Cum fructu et successu tentari nequit quod c 1451 commendatur ut sc. loco juris patronatus quo fruuntur, spiritualia suffragia acceptentur.

67. *An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.*

Provisio parochiarum liberae collationis fit secundum ordinem consuetum nostrae Administraturae Apost. sc. concursu generali peracto parochia illi sacerdoti confertur qui consideratis omnibus considerandis dignior apparet.

68. *Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.*

Sacerdotes in cura animarum occupati congruam sustentationem saltem ad moderatam vivendi rationem sufficientem a fundo religionis percipiunt. Generatim commode vivunt. Quivis parochus propriam domum inhabitat, in Vorarlberg etiam quivis alius sacerdos saecularis.

69. *An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant; et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.*

Quae cc. 463 § 4, 465, 466, 467, 468, 468. 470, 753 praescribuntur generatim diligenter servantur. Non omnes quidem eodem fervore laborant. Sed negligentes sacerdotes severe monentur.

70. *Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774: et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.*

Baptismus in ecclesiis confertur hinc inde infantes aegrotantes baptismum in domibus accipiunt. Sacerdotes ultro et libenter in ecclesiis ad conferendum baptismum praesto sunt.

71. *Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865, infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragenda, exponendo stans temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepant.*

Apud nos fideles serio monentur et excitantur, ut saepe imo quotidie SS. Eucharistiam accipiant, eodem zelo quae cc. 865, 1273, 1274, 1275, 854 commendant vel imponunt, perficiuntur.

72. *Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.*

Parochi libenter ubique praesto sunt, si ad infirmos vocantur, imo sponte etiam infirmos visitant et ad suscipienda sacramenta pro moribundis monent et exhortantur.

73. *Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.*

Celebratio matrimoniorum juxta praescripta fit.

74. *Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit: can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.* In toto territorio Adm. Ap. catechesis in scholis publicis traditur secundum normam ab Ordinario praescriptam. Decani quovis anno omnes scholas visitant et catechesim tentamini subjiciunt. Et Episcopus etiam in visitatione canonica omnes scholas hucusque visitavit et ipse tentamen fecit.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.* Circa Evangelii explanationem parochi in omnibus locis officia sua persolvunt excepto jam memorato casu, in quo PP. Capucini vel PP. Franciscani ex antiqua obligatione id peragunt. Tempore Adventus, potius adhuc tempore Quadragesimae saepius praedicatur, in multis parochiis Tridua devotio 40 horarum etc. cum praedicationibus habentur. Et aliae occasiones etiam ad id commendantur.

76. *An vicarii cooperatores alique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.* Vicarii cooperatores etc. sedulo circa sua officia peragenda instruuntur et in iis invigilantur.

Caput X¹. *De religiosis.*

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabilia adnotanda habeat.* Domus religiosarum non solum quovis quinquennio sed etiam multae quovis anno visitatae sunt.

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quatenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.* Religiosi et religiosae vitam communem ducunt exceptis aliquibus aegrotantibus qui in sanatoriis sunt. Religiosi catechismum tradunt si Ordinarius id ab ipsis exposcit. Omnes in suo habitu incedunt. Pro conventu Ursularum Innsbruck anno elapso jam visitatio papalis instituta est et adhuc perdurat.

79. *Si quaestuant adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicas praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.* Non solum regulares, qui ex instituto suo mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in nostro territorio Adm. Apost. quaerunt, sed etiam alii et aliae et saepe exorbitanter et difficulter adigi possunt, ut cc. 621, 622, 624 servent, quare jam non large eleemosynae pro nostro seminario fluunt.

¹ Im Original fälschlich X.

80. *Si congregatio aliqua dioecese iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.*

Societates virorum aut mulierum in communi viventes sine votis apud nos non sunt.

81. *Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.*

Generatim harmonia inter Ordinarium et ordines viget.

82. *Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.*

Solummodo unus sacerdos apud nos quondam conventualis monasterii S. Benedicti Muri Gries exclaustratus saecularizatus et dimissus et poenitentia peracta et ad munera sacerdotalia admissus nunc in munere cooperatoris tamquam sacerdos saecularis vivit. Pauci alii ordinem reliquerunt et vivunt vita saeculari sed ignoramus ubi et quomodo.

83. *De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:*

a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*

b) *si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*

c) *quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*

d) *si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*

In conventibus religiosarum plus minus servantur quae servanda sunt. In conventu Ursularum Innsbruck una vice Antistita solo visitatore papali annuente et approbante debitum 33000 Schilling contraxit, quod regimen civile repudiavit. Quia visitator enuntiaverat, Ordinarium nihil in conventu dicere et approbare posse nisi nominationem confessariorum Ordinarius se ingerere non potuit. Postea tamen conventus ipse tum approbationem tum subscriptionem cancellariae Administraturae Apost. expetivit.

b. Unum monasterium monialium superiori religioso subditum est, scilicet Abbato Augiae majoris Cisterciensium.

c. Vitam activam in operibus misericordiae vel in scholis multi ordines et multae congregationes agunt. Ursulinae – Sorores misericordiae – Sorores S. Crucis – Dominicanae – Sorores scholae christianae – Benedictinae – Matres SS. Cordis Jesu – Sorores pretiosissimi sanguinis – speciatim sorores misericordiae et sorores S. Crucis in sanatoriis et nosocomiis etc. in servitio aegrotantium cum tali effectu ut etiam medici prorsus liberales et acatholici illa dimittere nullatenus velint.

d. De iis quae in domibus privatis aegrotantibus serviunt, saltem bello peracto nihil mali auditum est. Certe una alterave semper erit quae congregationem relinquit. Sed in omnibus hisce congregationibus spiritus devotionis, castitatis et obedientiae fovetur.

Caput XI.

De populo fideli

84. *Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.*

In locis territorii nostrae Adm. Apost. populi mores valde diversi sunt. In multis locis speciatim in montibus et in vallibus nemo moribundus sacramenta rejicit, nemo qui non saltem tempore paschali sacramenta suscipiat, mox etiam post bellum etiam milites iterum vitam christianam susceperunt sicut prius consueti erant. At in civitatibus majoribus et in locis ubi fabricae industrialismi operarios multos congregant et socialismus suos agitadores emittit et isti operantur; multi etiam vitam liberiores vivunt. Nihilominus dici potest quod etiam in istis locis et ex his hominibus multi non omnem influxum religionis repudiant, etiam infantes in scholas christianas mittunt. Liberalismus magis nobiliores, Socialismus magis operarios ab exercitio religionis abducere studet. Facilius nunc aliquo tempore post bellum peracto multi qui cognoscunt se vario modo delusos esse, religioni et vitae christianae iterum magis adduci possunt. In hoc opere apud nos multae congregationes Marianae varii tertii Ordines, Missiones populares, Uniones juvenum catholicorum et virginum piarum, virorum et mulierum etiam speciatim nunc sic dicta „legio catholica“ juvenum operariis seu rusticis organizatio feminarum catholicarum actio catholica apud exulta et vere activa cum congressibus et diebus catholicis, etiam congregationes virorum excultorum et doctorum, uniones studiosorum universitatum sensus catholicos vovent et excolunt et inimicos fidei catholicae oppugnant et fidem catholicam defendunt.

Utique etiam apud nos apostasiae deplorandae sunt sed etiam conversiones fiunt et quidem numero plures quam apostasiae

ex. gratia²

annis	apostasiae	conversiones pro Tyroli	conversiones pro Vorarlberg
1924	16	63	19
1925	9	93	13
1926	53	66	14
1927	58	71	11
1928	57	32	16
Summa	193	325	73

85. *Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.*

Populus catholicus clericos, Episcopum et Summum Pontificem magna reverentia prosequitur, inter clericos certe illos majore reverentia qui eximiae pietatis et majoris fervoris sunt in officiis peragendis praesertim si opera caritatis erga pauperes et aegrotos praestant.

86. *Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; can. 1252, 1254 circa abstinendam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportionem pro singulis centenariis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; can. 865*

² Exempli gratia

et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenariis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

Praeceptum audiendi missam in diebus dominicis et festivis in locis minoribus generatim diligenter servatur. In oppidis majoribus e. g. Innsbruck saltem plus quam dimidia pars incolarum, in aliis saltem 80% populi. Praeceptum abstinendi ab operibus servilibus servatur sed leges civiles in hac materia cum legibus ecclesiae non concordant ideo est nunc temporis quoad aliquos festos quaedam confusio. Operarii socialisti contractus collectivos etiam operariis catholicis imposuerunt qui quosdam festivos dies non considerant. Episcopi Austriaci de hac re conquerebantur jam coram regimine civili usque nunc infructuose.

Praeceptum circa abstinendam et jejunium in diöcesibus Austriae tam allevatum est ut facile servari potest. Certo sunt multi qui nihil de hac re curant. At qui vitam christianam agunt etiam hoc praeeptum servant.

Raro bapismus infantum diu differtur. Communio paschalis utique ab asseclis Liberalismi et Socialismi negligitur sed exempli gratia in Vorarlberg 80% communionem paschalem percipiunt. In diversis locis magna differentia in hac re intercedit. Difficile dici potest quot praeeptum servant.

Uti jam alio loco dictum est in multis locis nemo sacramenta saltem moribundus non recipit et vix unus a susceptione SS. Sacramenti tempore paschali abstinet. Crescit de die in diem numerus eorum etiam inter juvenes et viros qui omni dominica imo etiam quotidie ad S. Communionem accedunt. Pueri et puellae apud generatim saltem in tertio anno scholari id est in aetate 8 vel 9 annorum SS. Eucharistiam suscipiunt ubique cum quadam solemnitate. At nunc etiam jam infantes 7 annorum ad SS. Eucharistiam accedunt cum parentibus cum patre et matre.

Crematio cadaverum apud nos raro est et solummodo apud illos qui vere catholice non vivunt et prohibitionem nesciunt et ab agitatoribus unionis pro propagatione cremationis adiguntur. Certe id non fit propter excessivas taxas pro sepultura ecclesiastica. Nunc uniones catholicae pro sepultura christiana crescunt.

87. Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepererint; quid fiat ut haec mala removeantur.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant: an servantur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

Numerus matrimoniorum mixtae religionis sic exhiberi potest:

	Tyrolis	Vorarlberg
1924	9	9
1925	14	16
1926	13	15
1927	12	10
1928	20	15
	68	65

Numerus divortiorum

	Tyrolis	Vorarlberg
1924	108	17
1925	112	27
1926	133	20
1927	103	30
1928	86	22

Numerus matrimoniorum de novo conjunctorum

	Tyrolis
1924	6
1925	11
1926	11
1927	10
1928	8

Numerus relativus indicari non potest, quia nostrae cancellariae istas res in evidentia habere non possunt.

Vitia contra sanctitatem matrimonii sparguntur. Fideles sedulo monentur et instruuntur de hac re in monitis pro neoconjugibus. Concubinatus raro fiunt et concubinatos monentur speciatim ubi istud vitium scandalum praebet. Matrimonia mere civilia sic dictae Kirchsteigerehen et Severehen seu matrimonia cum dispensatione civili ab illis contrahuntur qui catholicum matrimonium propter impedimenta indispensabilia contrahere non possunt. Leges civiles vel confusio et chaos quod in legislatione Austriaca intercedit, id promovet.

89. De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

Neoconjuges sedulo monentur, ut prolem christiane educent jam in sinu familiae, postea in scholis christianis magistros illam christiane educare sinant. Insuper in multis sermonibus et praedicationibus praesertim in coetibus et conventibus id fit.

90. De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.

In omnibus scholis popularibus et gymnasiis et lyceis, paucis exceptis, instructio religiosa primum locum tenet inter omnes alias disciplinas. Apud nos etiam per plurimos magistri catholici sunt et in harmonia cum clero juventutem secundum doctrinam catholicam instruunt. In Vorarlberg vix unus magistrorum socialismo addictus est. In Innsbruck alii sunt et pro dolor etiam influxum malum exercent, sed nullibi res ita sunt, ut sacerdotes non possint juventutem in doctrina christiana instruere.

91. *De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera postscholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisque modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

92. *De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque, piaes uniones potissimum pro iuuenibus: quo numero et quo religionis profectu.*

Tum in Tyrolia tum in Vorarlberg sunt tertii Ordines, tum PP. Capucinatorum tum PP. O.F.M. et Servitarum et Dominicanorum cum multis membris – e. g. in Vorarlberg membra tertii Ordinis sunt in 28 parochiis 65 Congregationes Marianae, 29 Uniones matrum piarum, in 15 parochiis uniones pro omni statu et multae confraternitates et uniones pro iuventute, pro aegrotis, novissime etiam PP. Salesiani domum pro iuventute susceperunt, in qua jam circa 100 pueri educantur et a malo arcentur.

93. *An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.*

Istae associationes praescripta CC servant.

94. *An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricularum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuuenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.*

Sunt etiam multae associationes speciales sociales pro operariis et pro aliis indigentibus. Istae associationes moderationi et directioni Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsunt, id quod etiam „Actio catholica” in nostro territorio procurat. Habemus in civitate Innsbruck centrum Actionis catholicae, a quo omnes associationes diriguntur. Simile quid nunc etiam in Vorarlberg instituitur, quod in die catholico celebrato in Feldkirch solemniter publicatum est.

95. *An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.*

In his associationibus praesertim vita christiana commendatur et excolitur. Sacerdotes, qui istas associationes regunt, id pro scopo habent.

96. *An et qua diffusionem ephemerides vel diaria obscena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint: quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.*

In toto nostro territorio folia nociva fidei catholicae et bonis moribus a socialistis propagantur; folia areligiosa ab asseclis liberalismi sparguntur, folia, quae nihil omnino vitae christianae proclamant, ac si homines sine influxu religionis felices esse possent. Nos arcemus istud periculum propagatione foliorum, quae fidem catholicam bene, imo optime defendunt, et monemus serio, ut fideles folia nociva evitent. Certe magno cum fructu in Vorarlberg et in

Tyroliam in omnibus locis extra civitatem Innsbruck, ubi folium irreligiosum multum nocumentum affert, multa jam tentavimus, sed non omnino potuimus istud periculum amovere.

97. *An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur: quid fiat ad occurrendum huic malo.* Massonicae sectae addicti in Vorarlberg non sunt certe noti neque in civitate Innsbruck novimus tales, nisi forte agitadores socialismi massonici censendi sint.

98. *An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.*

Socialistae, ubi fabricae industrialismi sunt, sedulo suas ideas spargunt, ubique suos agitadores emittunt, uti jam dictum est, et a centro scilicet a Vienna multa subsidia accipiunt. Etiam multi oratores veniunt a Vienna praesertim tempore electionum. Ast si quidem quarta pars suffragiorum in favorem socialistarum datur, certe jam non multi ita sentiunt, uti socialistae volunt, et non multi ab ecclesia recedunt, id quod cura animarum efficit.

99. *Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.*

In exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici et eorum deputati pro viribus imo speciali cum industria et fervore religionis bono et ecclesiae libertati consulunt.

CAPUT XII.

Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. *Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.*

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Ex omnibus istis annotationibus concludi potest, in territorio Administraturae Apostolicae Innsbruck-Feldkirch vitam christianam non decrescere, imo non obstante vehementi agitatione socialistarum crescere et florere. Periculum quoddam novum exoritur fidei catholicae et vitae christianae et ab illis majore ex parte acatholicis creatur, qui tempore aestatis et nunc etiam in hieme montes et valles visitant recreationis causa (Sport, Schi) et suo liberiori vivendi modo indifferentismum propagant. Speciali modo huic periculo occurrendum erit. Clerus tum saecularis tum regularis indefesse laborat in cura animarum. Timendum utique est, ne, si socialistae in Austria crescunt usque ad majoritatem deputatorum in parlamento, novae difficultates exoriantur quoad scholas praesertim. Sed in coetibus provinciae Tyroliae et Vorarlberg deputati catholici in majori numero sunt et certe ista pericula arcebunt. Optandum est, ut demum Administratura Apostolica suum characterem provisorium amittat. Perdurante isto statu provisorio multi labores impediuntur. Impossibile speciatim est e. g., ut processus matrimoniales recte et celeriter persolvantur. Provicarii multis laboribus onusti sunt. Episcopus ipse diu labores suos tales sine periculo sanitatis peragere nequit.

Maxime vero deplorandum est, quod civitas maxima territorii Innsbruck non sit civitas Episcopi, quamvis sit centrum vitae politicae Tyroliae. Res ista vero tractari tum demum potest, quando res dioecesanae ordinantur.

Populus Tyroliensis specialem devotionem fovet erga Christum Dominum ejusque Sanctissimum Cor, cum quo tempore belli Napoleonici foedus iniit. Speramus protectorem coelestem populum benedicturum esse etiam in aliis circumstantiis rerum quam antea fuerunt.

Innsbruck-Feldkirch, 6. Novembris 1928

+Sigismundus Waitz
Episcopus Cibyrensis
Administrator Apostolicus